




DES HERZOGTUMS SACHSEN-ANHALT







D. O. M. A.
DISPUTATIO V.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM

Philosophicarum,
*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Publicè*

Proposita
PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

Vlrico Volmaro

Saxohalenti.

*Ad diem 1. junij in auditorio Collegij
veteris.*

WITTEBERGÆ,
*Typis Martini Henckelij Impensis Pauli
Helovigii Anno M. DC. VIII*







DISP. V. CENTVR. V.

QUÆSTIO I.

An Topicus Syllogismus rectè dividatur in Notionalem & Realem?

H† ἀλήθεια ἐν τῷ βυθῷ λατάνει. *Ut vero aurum*
in intimis terræ visceribus latitans, non nisi artificiosis
instrumentis eruitur: ita & veritas ut evolvetur,
peculiari instrumento opus est. Tale vero præter uni-
cam Logicam non datur, unde & ὁρᾶνον ὁρᾶντων
ab interpretibus appellatur. Huic suffragatur illud,
quod Plato habet in Parmenide, p. 141. Præclarus, inquit, & divinus est
impetus, quo ad discendas optimas artes incitatus es, sed reprime
teipsū aliquantisper, & exerce te in dialectica, quæ multis falsò vide-
tur inutilis & inanis garrulitas: idq; tum facies, dum adhuc juvenis
es. Quod si neglexeris, semper te veritas effugiet.

Ex † hac igitur nobilissima disciplina unam atq; alteram questionem
enucleandam decerpere, & huic διασκεψεῖ premittere lubet.

Quod † priorem itaq; in frontispicio jam propositam attinet, vix me-
lius illa decidi poterit, quàm si prius constet, quid per Notionalem, quid
item per Realem syllogismum indigetetur.

Finitur † autem Syllogismus Notionalis ille, cuius conclusio notione
secunda aliqua constat: seu quando loco majoris proponitur maxima aliqua
in locis Topicis proposita. Hujus syllogismi medius terminus sumitur ex na-
tura & proprietatib; illius notionis secunde, de qua in conclusione queritur.
v. c. Genus, quod speciei, cuius genus esse dicitur, æquale est, genus non
est:

Ens æquale est uni:

E. Ens unius genus esse nequit.

¶ 2

Item:

Item: Quando contraria paria non sunt, consecutio est conuersa:

Bona opera & mala opera, sunt quidem contraria, sed non sunt paria: Mala enim opera sunt perfecte mala: Bona vero sunt imperfecte bona: E. non recte concludo: Mala opera damnant: E. bona justificant. Sed conuersa sequitur: E. justificatio dat bona opera.

5. Realis ¶ describitur, qui constat terminis probabilibus realibus; seu notionibus extra mentem positis, ut:

Qui diligenter studet, pallet:

Hic vel ille diligenter studet: E. pallet.

6. Ex ¶ hisce syllogismi tam Notionalis, quam Realis definitionibus premissis, affirmatiuam tanquam uero consentaneam ita elucimus: 1. Quia syll. Notionalis necessarius est ad probandum: quando enim ex loco dialectico sumitur medium, & illud ab alio negatur, probari non potest nisi notionaliter. 2. Duplex datur questio, Notionalis quippe & Realis: E. & duplex syllogismus erit. 3. Aristot. 2. post. an. cap. 4. & seq. quando dicit, definitionem non posse probari syllogismo, intelligit naturalem, non intentionalem, hoc enim probari posse definitionem, ipse cap. 8. t. 3. subjicit.

QUÆSTIO II.

An Syllogismi huius, qui habetur apud Philosophum, 1. post. t. 96: Id quod non scintillat, prope est: Planeta non scintillant. E. Planeta prope sunt; minor propositio sit affirmatiua vel negatiua?

1. Recipimus ¶ prius, & quidem ob has causas: 1. Si namq minor negatiua esset, utiq; & conclusio, semper debiliorem partem sequens, etiam negatiua esset. 2. Nihil sequitur in prima figura ex minore negatiua. Hic, u. firmissimam esse consequentiam nemo negare potest. Rejicimus igitur illam ad classem indefinitarum propositionum, affirmatiuis respondentium. Quod uel inde patet, quia particula negandi in maiore ad descriptionem subjecti pertinet,

tinet, quod subiectum integrum in minore repetendum erat: prædicatum v. maioris affirmatiuum esse, per se patet. 3. Ut terminus quidam in propositione negetur, negativa particula extrinsecus adueniat, necesse est: Id v. hic non fit; Sed idem est, quoad verba & literas, qui in maiore erat.

Quod † si vero minor propositio extra syll. & absolute consideretur inter enunciationum negatarum numerum optime reijci potest; partim quia negativa convenienti loco posita est, partim quia remouet prædicatum à subiecto. Quando v. jam ut pars syllogismi sumitur, & propositionis naturam induit, aliam & respectum sortitur, & prædicatum non amplius remouet à subiecto, sed etiam pars prædicati facta est. Et sic non scintillare, non negatiuus, sed infinitus, (ut dictum) affirmatiuus terminus est; ut sensus maioris talis emergat: Omne non scintillans propè est, Minoris vero hic sit: Planetæ sunt non scintillantes. Enunciatio enim & propositio hic in hoc differunt, quod illa extra Syll. hæc in Syllogismo ita nuncupetur.

Q U Æ S T I O III.

An rationes causandi, seu causalitates, (uti vocantur) sint entia absoluta à suis causis & effectis distincta.

Ut † feliciter progrediamur in decidenda hac questione, quid rationes 1
causandi seu causationes vocentur, videndum est.

Definitur † vero Causalitas communi Philosophorum consensu, in- 2
fluxus siue concursus, quo unaquæq; causa in suo genere influit esse in effectum. Suar. dispu. meta. 12. l. 2. dist. 12. Fons. 5. meta. c. 2. q. 13. l. 3. 4. Conim. l. 2. Phys. c. 2. q. 6. & seq.

Iam † itaq; presentis ἑπιμαρ & negativam cum sanioribus 3
Philosophis defendere animus est. Nam 1. patet illa ex ijs absurditatibus, quæ ex opposita parte sequerentur: Si enim causalitas seu cōkursus esset quoddam ens absolutum, seu distinctum à sua causa & effecto, sequeretur illud ens v. g. in creatione mundi, vel fuisse substantiam à Deo creatore distinctam; vel fuisse accidens in creatura vel creatore hærens: quod non in creatura fuerit, patet, quia præter DEum ante creationem nihil fuit; non

in creatore, quia is est simplicissimus actus. & manet illum concursus non fuisse quoddam ens realiter à Deo seu creatura realiter distinctum, sed tantum modum quendam, à Deo quidem effectivè existentem, & in creaturam receptum: Et sic in creatione tantum distinguitur res creata à relatione actualis dependentiæ à Deo creante, quæ illam sequitur. Quod idem in generatione locum habebit. Licet interim non inficias eamus, inter rem creatam seu generatam præter rei seu causæ entitatem & relationem medium quasi tenere ipsam emanationem seu causalitatem passivam, eam tamen Ens absolutum, & non potius modum quendam essendi (ut modò dictum) iterum pernegamus.

2. Si [†] causalitas materiæ & formæ essent Entia absoluta, à materiæ & formæ distincta, sequeretur, non immediate uniri posse materiam & formam, ad constitutionem rei unius rei naturalis. Nec obstat, quod quidam contendunt, requiri aliquod vinculum, ut forma & materia uniat. Hi enim jam olim à Philosopho 2. de an. c. 2. t. 26. resutati sunt: siquidem hac ratione partim compositum esset ens per accidens, partim sequeretur, alio vicissim vinculo opus esse, quod hoc cū forma jungeret, & sic fieret processus in infinitum. Entia vero citra necessitatem non sunt multiplicanda: cum igitur materia & forma ad unum compositum per se constituendum sufficiant, cum illa se habeat ut pura potentia, hæc ut actus primus, citra omnem rationem & sensum entia multiplicarentur, quod in primis fieret, si in quolibet genere causarum ejusmodi ratio causandi statueretur Ens esse absolutum.

§ Contrariam [†] sententiam qui tumentur, cum primis solliciti sunt de causa efficiente, contendentes eius causalitatem ens absolutum esse, idq; in hunc modum confirmare conantur: 1. Quando ex illis queritur, cur causæ efficienti causalitatem realiter distinctam tribuant, respondent: Propterea sic fuisse comparatum à natura, quia ut peculiare est efficienti, posse producere effectum interventu formæ realiter ab eo diversa, ut igni alium ignem ministerio caloris: itemq; ut proprium ejusdem efficientis est, formam à se realiter distinctam, non quolibet modo attingere, sed verè ac simpliciter producere; & agere etiam in remota, diffundendo effectum per intermedia: ita consentaneum fuit, ut ipsi dumtaxat ratio causandi realiter diversa conveniret.

2. Ille concursus rerum, quæ appellantur causæ, aut addit aliquid rebus ipsis concurrentibus, aut nihil addit. Quod nihil addat, dici non potest, quia alias nullum esset discrimen inter illam rem, quatenus absolute sumitur, & quatenus concurrat, seu causa dicitur. Si addit, aut erit illud relatio, aut ens absolutum: non relatio, quia hæc nullius est actualitatis: & erit absolutum accidens: aliud enim denominari nequit.

3. Si

3. Si concursus Dei non est quid distinctum à Deo ipso, sequitur, eum concurrere esse æternum & infinitum, cum Deus, sit æternus & infinitus, & per consequens ab æterno creaverit, quod falsum.

Respondemus ad 1. distinguendo inter causalitatem proprie ita dictam, & actionem. Quod actio causæ aliquam realem entitatem superaddat, extra controversiam est: verum hæc immediata causalitas si ve concursus causa non est, sed potius effectus minus principalis, Immediata autem causalitas & concursus est, à quo actio immediate pendet & fluit: atq; nihil omnino Entitatis causæ superaddit. Quia igitur in objectione causalitas & concursus sumitur pro ipsa actione à causalitate profluente, vel etiam ex actionis diversitate, judicatur, diversitas, quando sit progressus ab actione, quæ interdum fit inter-veniente alia forma, ad causalitatem: ambiguitatis vitium & fallacia causæ facile intelligitur.

Ad 2. respondemus negando consequentiam. Etsi enim nihil plus entitatis habent res, prout effectus concernunt, quàm absoluta: tamen hoc amplius habent, quod ab illis effectus dependeat realiter, qui est certus aliquis modus habendi; non vero accidens, neq; absolutum, neq; relatum.

Ad 3. Negamus iterum consequentiam: Causalitas enim & concursus Dei necessario dicit ordinem fundamentalem ad effectum. Qui ordo ab æterno sine omni immutatione fuit in Deo, non quidem ita ut effectus esset ab æterno, sed potius ut intempore ita esset, ut est. ut ita facta sit mutatio in effectum: non vero in causâ.

Q U Æ S T I O, IV.

An cælum sit corpus naturale simplex?

Non est, ut miretur quispiam, quare hanc questionem in dubium
q. revocare ausi simus, cum dudum à Philosophorum principibus, cælum
è corporum naturalium numero minimè eximendum esse, conclusum sit. Is
enim sciat, quod non tam dubitandi, quàm nostram sententiam magis magis
confirmandi gratiâ eandem denuò proposuerimus. Adducimus autem pro
affirmativa nostra sequentes rationes:

1. Cui competit definitio, eidem & definitum: Cælo competit defini-
tio corporis naturalis: E. Min. probatur: Corpus naturale definitur

2. *Etiam*

ἔοικα οὖον ἔχουσα. *Iam cælum est substantia naturam in se habens: E. Minor iterum probatur, tum ex ipsa naturæ definitione, tum autoritate Aristotelis. Natura definitur ἀρχὴ καὶ αἰτία τῆς κινήσεως καὶ ἡρεμίας, ἐν ᾧ ἡ ἀρχὴ πρώτως καὶ αὐτὸ καὶ μὴ συμπληρούς. Hoc vero principium cælo competere quis non videt.*

3 Sed + dicis, cælum semper movetur, nunquam quiescit: E. in se principium quietis non habet, & per consequens nec natura ipsi competet. 2. movetur non ab interno principio, sed à motoribus externis, quos Arist. intelligentias vocat.

4 Verum + Bz. vocabula illa *Motus & Quietis* in definitione *Naturæ* non semper conjunctim, sed partim conjunctim, partim disjunctim sumenda esse. & *Naturam* dici principium *motus & quietis*, non simul sed successive. Nam in omni re naturali non utrumq; sed alterutrum præstans est, ut loquitur Perer. 1. 7. c. 4. Omnes enim res naturales vel tantum movetur vel tantum quiescunt, vel modò movetur, modò quiescunt. 3. Phys. c. 3. t. 21. Ita cælum potest dici quiescere, quia semper manet in eodem loco, (quoad totum) vel si non actu, tamè potentia. Deinde licet ab externis moveatur principijs, tamen in se quoq; habet internum illud principium; hoc quod non in actum secundum prorumpat, fit ideò, quia non opus habet, siquidem res in proprio loco constituta quiescit. Sic lapis in proprio loco non movetur, habet interim principium istud internum, quo extra locum suum constitutus ad centrum movere queat. Ac licet cælo non metuendum, ut aliquando extra suum locum rapiatur, tamen ne quid perfectò corpori desit, & hac habitudine præditum est, quæ minime frustranea dici potest aut debet.

5 2. Omne + compositum ex materia & forma est
Eus naturale:

Cælum constat ex materia & forma: E. Min. confirmatur: 1.

Quod constat ex materia, liquet inde; quia est quantum: Scal. ex. 61. l. 5. Quantitas enim profluit ex materia. Suar. tom. 1. dispu. meta. 13. num. 25. 2. Quod ex forma constat, itidem patet. Habet enim certam & determinatam quantitatem quæ determinatio non nisi à forma est.

6 3. Quicquid + in certo quodam naturali loco, certa q; loci differentia, illud corpus naturale sit necesse est. Arist. 3. phys. c. 5. t. 48. At cælum est in certo quodam naturali loco, certa q; loci differentia. 1. 4. phys. c. 5. t. 45. Scal. ex. 5. l. 3. habet etiam sursum & deorsum, quæ loci sunt differentia. 1. 2. de cæl. c. 2. t. 13. E.

4. Quic-

4. Quicquid † continet corpus naturale, illud etiam corpus naturale 7
sit necessum est, cum naturale à non naturali contineri nequeat. 1. de cœ. c.
8. t. 97. At cœlum suo ambitu omnia corpora naturalia continet, extrag
cœlum nullum deprehenditur; quod ibid. Arist. pluribus ostendit. Scal. ex.
18. E.

5. Quicquid † in physicis tractatur, aut est corpus naturale, aut affe- 8
ctio corporis naturalis, aut ut forma alicujus corporis naturalis tractatur,
aut simile quid, quod ad corpus naturale referatur: Sed cœlum neq̄ est affe-
ctio, neq̄ forma alicujus corporis dici potest, minus aliquid, quod ad corpus
referatur: E. corpus naturale est. Major communi Philosophorum consen-
su stabilitur, eamq̄ Philosophus speciatim confirmat, l. 1. de cœ. c. 9. t. 96. &
l. 3. t. 1. l. 1. de part. an. c. 5. Nec non minor suâ luce lucet: Quocirca & con-
clusioni suâ stat veritas. Plura de hac re desiderans consulat Tol. 2. Phys.
q. 3. Fons. 5. meta. c. 4. q. 2. l. 6. Per. 1. 7. sci. nat. c. 7. Zab. de nat. cœl. c. 10.
Arist. 7. meta. c. 2. ubi cœlum & ejus partes, sydera, Solem, Lunam, inter
σώματα φυσικά expresse numerat. Contraria argumenta, quæ h. l.
opponi solent, ipsi disputationis actui referuamus.

Tandem † nec illud silentio planè prætereundum est, quod in quæstio- 9
ne auditur, Cœlum esse corpus naturale Simplex. Corpora siquidem, ut con-
stat, in duplici sunt differentia: alia namq̄ sunt composita, alia simplicia. Nos
cœlum ad classem corporum simplicium referimus: sumto tamen vocabulo
Simplicis in ea significatione, quâ opponitur composito mixto. Cœlum enim
etiam compositum non incommodè dici potest, quatenus constat ex materia
& forma: minus v. commodè, imò absurdè, quando compositum pro mixto
sumitur.

Exulat † igitur hîc objectio illa, quando objicitur: Cœlum est corpus 10
naturale simplex: E. non est compositum ex materia & forma. Is enim ipse,
qui cœlum nominat corpus, nisi seipsum implicare velit, fateatur, Cœlum ex
materia & forma constare. Non enim datur corpus ex sola forma consti-
tum, sed omne corpus ex materia & forma constat. Deinde Arist. simpli-
cissimum nominat cœlum, κατὰ τὸ ἑξ ἑκαστοῦ τῶν στοιχείων, & respectu Elementorum, quæ
etiam sunt corpora simplicia, sed non gaudent tali simplicitate ut cœlum,
quæ ex artificissima illa ἐνώσει materia & forma cœli oritur.

B

Q u æ

Q V Æ S T I O V.

An Cessante motu Celi, cessent necessario omnes motus actionesq; corporum inferiorum?

1 Speciosa † admodum videtur sententia affirmativa ex illis fundamentis, quod hæc inferiora cum superioribus essentialiter ordinata esse videantur: jam v. essentialiter subordinatorum juxta Philos. l. 2. met. c. 2. r. 5. ea sit conditio, ut inferiora non moveant, nisi dependenter, à superioribus quippe mota. Quomodo a. hæc movere possunt, si non & ipsa moveantur, ut idem testatur Arist. dum ait: Nullum movens corporeum movere nisi moveatur. Et movere non motum, solum primi motoris proprium esse, ibidem affirmat. Quare cessante motu celi cessabunt hæc inferiora simul à cunctis suis actionibus, cum celum non movere queat nisi per motum.

2 verum † quò minus assentiamur, alia obstant, quæ q; negativam magis vero propinquam annuunt. Et 1. quidem distinguendum est inter motiones seu actiones, quæ unice à motu celesti dependent, & inter eas, quæ non ita dependent: Omnes enim in unum versum actiones corporum inferiorum à motu superiorum dependere, à vero absolum esse videtur. Deinde præter motum dantur alii influxus celestes, quibus mediantibus celum in hæc inferiora agit. Licet itaq; maxime celi motus cesset, tamen per cæteras influentias, non tantum lumen, sed & occultam & immaterialem quandam vim & qualitatem in hæc inferiora agere posset. Sic videmus heliotropium ita affici à qualitate occulta celesti, ut singulis horis eundem positum cum sole referat, quod certe neq; motui, neq; lumini, (aliàs enim & aliis idem competeret) sed occultis viribus ascribendum est.

3 Præterea † negativam nostram confirmant s. literarum monumenta, quæ disertè testantur, tempus quondam fuisse, quo celestia corpora, & quidem inter ea præcipua à motu suo cessarint. Nam Ios. 10 sic legimus: Steteruntque Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum hoc est in libro justorum? Stetit itaq; Sol in medio celi: & non festinavit occumbere spacio unius diei. Hoc, inquam, in s. literis præditum legimus, ubi autem quæso, omnes tunc temporis corporum sublunarium actiones & motiones continuo cessasse legimus?

Fir.



Firmum & igitur & ratum manet, cessante motu caelestium corpo-
 rum non statim cessare motus inferiorum & sublunarium omnes. Quamvis
 libenter concedamus, multas actiones plane desituras, plurimas à suo vigo-
 re, in quonunc sunt, cessaturas esse. Motus siquidem caeli noctem & diem
 concreat, Sol diversa anni tempora constituit: sine motu caelesti
 variarum rerum & animalium corruptio & generatio tam univoca,
 quam aequivoca locum habere vix poterit. Fundamenta v. contrariae
 opinionis quod attinet, nullo modo concedi potest, omnes inferiorum corporum
 actiones & motiones ab unico caelestium corporum motu dependere. Quare
 qua facilitate affirmatur, eadem rejici potest. Quando v. Arist. lib. 7. phys.
 c. 1. t. 3. ait: ἐπεὶ δὲ κινῶμενον, πᾶν ὑπὸ τῆς κινήσεως, ἀνάγκη
 καὶ τὸ κινῶμενον πᾶν ἐν τόπῳ κινῶσθαι ἢ ἄλλῃ, καὶ τὸ κινῶν τοίνυν ὑπὸ
 ἐτέρῃ, ἐπεὶ καὶ αὐτὸ κινῶται, καὶ πάλιν τὸ ὑπὸ ἐτέρῃ: sanè posteriora
 nō ita simpliciter intelligenda sunt. Magnes namq; etiā quiescens movet, &
 ferrum ad se trahit, sed restrictione & limitatione opus habent, & quidem ta-
 li, ut videlicet movens corporeum non moveat de loco in locum immediatē
 rei movendae seu mota impulsum imprimendo, nisi & ipsum movens mo-
 veatur. Vel possunt ita intelligi: Nullum corporeum movens movere potest
 nisi moveatur vel actu vel potentia. Possunt igitur multa dari moventia,
 quae licet potentiā mobilia sint, actu tamen non moveantur. Conim. l. 8.
 Phys. c. 4. q. 1. ar. 4.

QVÆSTIO VI.

An aliquis effectus naturalis respectu caeli casu eveniat?

Cum & Arist. 2. Phys. c. 8. Naturam nihil temerè & frustra, sed omnia
 finis gratiā facere asserat, hac verò in caelesti corpore maximè regnet, haut
 immeritò quis quarere posset, utrum & hujus corporis caelestis respectu a-
 liquis effectus casu evenire dici possit.

Quod & dubium unica distinctione adhibita, cujus etiam in præcedenti
 questione mentio facta est, facile dissolvi potest. Ut enim actiones caeli vel so-
 litariae sunt, & sine inferiorū respectu absolunt effecta, vel in sui concursum
 haec inferiora rapiunt: ita & effectus duplicis generis statui possunt:
 aut enim nonnulli in solidum à corporibus caelestibus dependent & perfici-

B 2

untur:



antur: aut non nisi simul sublunarium & inferiorum caussarum admniculo
& concursu absoluantur,

3 Prioris † generis effectus si spectes, ultrò largimur, immò contendi-
mus, nullum effectum naturalem casualem & fortuitum esse, sed omnes me-
rè necessario modo se habere. Ad quam classem noctis & diei vicissitudi-
nem, item annuam istorum quatuor temporum diversitatem referimus. In
ejusmodi enim effectis perficiendis & absolvendis cœlum in suis actionibus
ab hisce inferioribus impediri nequit, sed in suo ordine & cursu relinqui-
tur.

4 Posterioris † generis effectus, quod attinet, multos casu, etiam respectu cœli
evenire, res ipsa docet, idq; dupliciter: 1. Respectu materiæ. Homo & sol gene-
rant hominem, ait Philosophus. Cum itaq; sæpè contingat, propter materiæ
defectum vel abundantiam, ut non homines, sed monstra hominum produ-
cantur, effectus hi præter intentionem solis facti, ejusdem respectu casuales
dici optimè merentur. Idem accidit, quando frumenti terræ mandati pro-
ductionem cœlestis calor intendit, agri v. sterilitas, malaq; dispositio ita impe-
dit, ut nulla futura messis speranda sit. 2. Respectu causæ inferioris efficien-
tis. Sic potest δύναμις πλάσιν in producendo homine, itidem ex-
uberans aut deficiens cœli actionem impedire, & causa esse, ut monstrosus ef-
fectus producat, qui respectu cœli casualis indigitatur. Hæc igitur & similia
effecta, cum non in totum ab actione & ordine cœlestium corporum dependeant,
sed etiam inferiorum caussarum concursum requirant, & varijs externis
impedimentis & obstaculis exposita sint, quin ad cœlum relata, casu evenisse
dicantur, absurdum minimè esse, firmiter concludimus.

Q U Æ S T I O VII.

An generatio unius, sit corruptio alterius.

I Non † hic queritur, An generatio unius sit corruptio alterius, quoad nu-
merum rerum vel gerendarum vel corrupendarum, ut ille semper maneat idem: hac
enim ratione æqualis semper entium numerus & multitudo in mundo foret, quod
qui affirmare vellet, absurdus planè videretur. Imò ipsa experientia reclamat,
cum quotidie videmus ex uno duntaxat corpore multa generari, ut fit in ca-
daveribus, ubi ex uno cadavere ferè innumeri sæpè vermes generantur, &
vice versa una re generata multa corrumpi.

Verum

Verū † illud in questione versatur, an semper uno corrupto aliud quid ge- 2
neretur, & uno generato aliud corrumpatur, si ve idem numerus & a qua-
lis, si ve diversus & inaequalis servetur & maneat.

Neq; † etiam sermo est de generatione & corruptione accidentali, qua ac- 3
cidens in materiam introducitur, vel ex eadem removetur; si quidem ejusmo-
di generatio & corruptio est impropria & secundum quid, & saepe abit ac-
cidens, sine alterius successione, & possunt in uno subiecto multa dari acciden-
tia, quod tamen de formis specificis negatur; sed de substantiali, an semper in
substantiis unius generatio sit alterius corruptio, & unius corruptio alterius
generatio.

Præterea † neq; de identitate specifica intelligi debet, dantur enim etiam 4
generationes & corruptiones æquivocæ, ubi res generate aut corruptæ quoad
speciem eadem non sunt.

Deniq; † non hyperphysica, sed naturali seu Physica corruptione intelle- 5
ctum volumus.

Quibus † ita præmissis affirmativam h. modo defendimus: 1. Quia in his- 6
ce sublunariis sic comparatum est, ut nihil in illis perpetuum & durabile
propter contrarias qualitates inveniat, præter commune illud generati-
onis & corruptionis subiectum, materiam primam; hæc vero nunquam
informis deprehendatur, fieri non potest, quin recedente una compositi formæ
altera statim abeat. 2. Impossibile est, plures formas specificas posse consiste-
re in una & eadem materia, cum singulæ formæ ultimæ, materia junctæ
compositum aliquod substantiale constituent. Sic forma hominis, bovis, equi,
non possunt esse in una & eadem materia: hinc ergo fit, ut per generationem
formæ aliquâ novâ introducendâ accedente, prior illa recedere, & materi-
am deserere, cogatur sicq; illud, ex quo fit generatio, corrumpatur.

Quam † sententiam nostram Philosophus quoq; suo calculo passim 7
approbat: 3. phys. 8. t. 73. ἐνδέχεται τὸ ἴατέρας φθορὰν γένεσιν ἴα-
τέρας εἶναι. l. 1. de Gen. c. 3. t. 17. 20. τὸ ἴε φθορὰν ἀλλὰ εἶναι γένε-
σιν, καὶ τὸ τὸδε γένεσιν ἀλλὰ φθορὰν. Plura apud Zab. l. 1. de
Gen. c. 4. & seq. l. 1. de mist. gen. & int. c. 9. Per. l. 14. c. 1.

Q U Æ S T I O V I I I.

Medium visus quodnam sit?

B 3

Quemad-

1. Quemadmodum ¶ in omni sensu tria generatim consideranda veniunt: 1. αἰσθητὸν, sensibile seu sensile, sensu perceptibile, 2. αἰσθητικόν, sensorium, quod aliàs dicitur organum, per quod tanquam per instrumentum sensibile percipitur, 3. μέτρον, medium, per quod res sensibilis ad aliquem sensum defertur: ita etiam in excellentissimo sensu visus eadem observanda sunt. Omissis a. in praesentia duabus prioribus requisitis, tertium, cuius decisionem propofita quaestio à nobis flagitat, indagare, quomodoq; illud comparatum esse debeat, examinare animus est.

2. Medium ¶ ut in ceteris sensibus omnibus, ita & in visu requiri, extra controversiam ponimus, freti nō tantum ipso rerum experimento, sed & effato illo summi Philosophi nostri, qui l. 2. de an. c. 11. t. 114. in hac verba prorūpit: αἰσθητικὸν μέτρον πᾶσι τὰ διὰ τὸ μέτρον. Et ibid. c. 9. t. 98. docet: τὸ δὲ αἰσθητικὸν μέτρον τὸ αἰσθητικόν αἰσθητὸν εἶναι κοινὸν πάντων. Medium itaq; nemo, nisi forte Democritus quidam negabit. Is enim referente Arist. l. 2. de an. c. 7. t. 74. opinatus est, si fieret vacuū, quod medium sit, perspicui utiq; exquisitè, etiā si nubis aut formica in celo esset; sed ab ipso Philosopho, l. d. refutatus est, vacuo dato, nedū exquisitè, sed omnino rem non videri.

3. Medium ¶ v. ipsum nobis eodem loco, t. 68. videlicet διαφανές, corpus perspicuum denominat: Hocq; speciatim subjicit, esse aërem & aquam, & multa solidorum, ut & illud, quod sursum est, corpus, celum intelligens.

4. Ubi ¶ tamen observationem meretur illud, Aërem propriè medium visus dici, minus a. vera media esse aquam & alia corpora solida. Medii enim ais Scal. ex. 61. f. 3. natura ea est, ut non videatur. Vnde colligit, aquam non esse verum medium ad videndum, quia ipsa videtur. Deinde quia hæc ut & solida visum sepius fallunt, ut videre est in canicula Æsopica fluvium transeunte, quæ cum videret umbrā in aquis longè majorem frusto carnis, quam in ore gestabat, eamque capere volebat, suam perdidit. In ea enim μετασχηματιστικῆς species illa aut ἐμωρῶτα. Scal. ibid. Idem & in solidis corporib. utpote perspicillis, vitris &c: experimur, unde Posidonius apud Cleomedē ait: Si fieri posset, ut Sol per parietes solidos aliq; corpora à nobis spectaretur, quod de lynce ferunt fabulæ, fore ut multò major cerneretur, quā per humorem crassioremq; aërem visus. Qua de re libelli optici consulantur.

5. Medium ¶ porrò à nobis positum, ut sit aptum & idoneum, pellucidum fieri oportet, & luminis praesentiā illustrari. Vbi & illa distinctio non praetereunda est, qua corpora perspicua (quæ quando proprio destituuntur lumine, δὲ αἰσθητικὸν μέτρον tamen ad lumen aliunde recipiendū habent) ratione luciditatis seu perspicuitatis duplicia constituuntur: Δόξα & ὡραμένη:

Δόξα

Αόρατα seu interminata ea dicuntur, quorum substantia non tantum in una superficie etiam per profundum, lumen admittit, sed etiam per alteram oppositam vicissim transmittit, nullo obstante termino vel impedimento opaco, quod lumini transitum prohibeat. Ejusmodi corpora sunt simplicia, ut aer, aqua, corpus celeste: aut sunt solida & composita, qualia sunt: Gemma plurima, crystallus, glacies purior, cornea laminae tenues seu cornua polita, vitrum, perspicilla, cornea oculi tunica, humor crystallinus, tenues pelliculae in cepis, membranulae arundinis, subtiles quoque aliquot membranae in corporibus animalium, & similia, quae simpliciter διαφανῆ ac perspicua dicuntur, & sunt medium visus, si de rem in sua quantitate justa, si de non, exhibeant. ὁρασιμῆν seu terminata sunt, quorum perspicuitas in priori superficie finitur, lumenque non intra corpus recipitur, multo minus ad posteriorem superficiem transmittitur.

Tandem ¶ modus, quo medium lucidum evadit, duplex datur: Aut 6 enim à re ipsa videnda illustratur, ut fit noctu, aut etiam interdum in locis obscuris & tenebrosos, ubi res ipsa objecta seu videnda, v. g. bombyx, oculi felium, piscium, carbunculi, radiis emissis, medium illustrant, ut illae ipsae visu apprehendi possint. Vel illustratur à re aliena, quae etiam potest non esse objectum visibile, ut patet in sole, igne, luna & c: quae medium ita illustrant, ut quaevis res videri queant, ipsa tamen non semper videantur.

Medium ¶ ergo hoc duabus q. absol. vitur partibus, quarum prior rationem materiae, quae est corpus aptum ad recipiendum tam lumen quam tenebras: posterior formae conditionem sustinet, quae forma lumē indigitatur, & definitur ab Arist. quod sit aëlis perspicui, secundum quod est perspicuum. l. 2. de an. c. 7. t. 68.

QVÆSTIO IX.

An virtus sit mediocritas & extremitas?

Virtutem ¶ & mediocritatem & extremitatem, diverso tamen respectu, recte appellari, ex 2. Eth. c. 6. evidenter patet: Mediocritatem quidem essentiae, Extremitatem v. perfectionis respectu. Sic enim Philos. d. l. ait: Διὸ καὶ μὲν τὴν ἁρίστην καὶ τὸν λόγον, τὸν ἡτὴν εἶναι λέγονται, μεσότης δὲ τὴν ἁρίστην. Κατὰ δὲ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ, ἀκρότης. Quae eadem ferè verba apud Plutarch, l. de virt. mor. leguntur: ἡ ἀρετὴ, αἰτ, ἀκρότης μὲν δὲ τὴν δυνάμει, καὶ τὴν ποιότητι: τὸ πῶς δὲ μεσότης, τὸ ὑπερβάλλον ἐξουσίας καὶ τὸ ἔλλειπὸν.

Qua-

2 Quatenus † igitur ratione perfectionis consideratur, extremitas dicitur, cum non tantum hominem ejusque actiones perficiat, verum etiam inter bona extremum seu supremum locum obtineat. Quatenus secundum suam essentiam consideratur, prout perturbationibus modum & medium prescribit, mediocritas rectè dicitur. Hæc enim perturbationes ita corrigit & dirigit, ne vel in excessu vel defectu peccent, easque non aliter ac Circes apud Hom. alloqui videtur, quæ Ulysses his verbis monebat: Extra summum & undam nauem rege, Obsidet enim dextrâ Scylla latè, læ uero implicata Charybdis.

Q U Æ S T I O X. An de Fine sit consultatio?


1 Βεβλ. Δό. μεθ' ε' ἐπὶ τῶν τελῶν, ἀλλὰ ἐπὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη αἰθ
Philos. l. 3. Eth. c. 5. Et consultatio ipsa describitur diligens disquisitio & deliberatio de mediis latentibus, quæ ad nos pertinent, ac in nostra sunt potestate, ut inueniamus ea, quæ potiora sunt, & ad finem propositum consequendum magis conducunt.

2 Præterea † quod & definitio uult, distinguitur consultatio in eo à voluntate, quod hæc circa finem, illa uero circa media ad finem ducentia uersetur.

3 Ex † quibus apparet, non amplius dubitandum de re proposita, sed rectè eandem negandam esse. Ast in dubium uocatur hæc quæstio, partim ex illo, quod Cic. l. 1. off. habet, dum quinque dari modos deliberandi de honesto & utili, ait; Honestum a. & utile sunt bonum, finisque rationem obtinent: quare etiam de fine datur deliberatio; partim inde, quod quotidie homines audimus sollicitos de uitæ suæ genere inceptando. Quam anxii n. multi sunt in deliberando & consultando, quodnam tandem uitæ genus sectari, utrum bella sequi, & cum hoste conflictari, an uero rura & agros colere uelint. Iam uero uitæ genus cuiusque finem esse negari non potest. Ejusmodi deliberatio erat Cic. quando à poesi ad Eloquentiam se conferebat.

4 Ad † hujus dubii & totius quæstionis dissolutionem Be. cum Piccol. grad. 2. c. 23. Consultationem nonnunquam de fine, semper uero de ordinatis in eum esse. Deinde ipsi fines sunt distinguendi: alii enim sunt ultimi, alii intermedii. De ultimo fine consultationem non dari, facile conceditur: hoc enim est summum bonum, quod ita uolunt omnes, ut nemo possit id nolle: cum nihil includat, quod non omnibus satis faciat. De intermediis autem quia diuerso respectu & finis & medii rationem habent, deliberatio fieri potest, non quidem quatenus finis, sed quatenus medii rationem & uicem obtinet. Sic de honesto & utili, item de uitæ & studiorum genere quin deliberatio instituat, non negatur.

F I N I S.







59

D. O. M. A.
DISPUTATIO V.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIVM
Philosophicarum,
In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Publicè

Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE
Vlrico Volmaro
Saxohalenti.
Ad diem 1. junij in auditorio Collegij
veteris.

WITTEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij Impensis Pauli
Helovigii Anno M. DC. VIII

